

aliquid? ut Solonem versibus glorientem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem, senem fieri dicit: ut ego feci, qui Graecas litteras senex didici: quas quidem sic avidè arripui, quasi diurnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod cum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem et illud, (discebant enim fidibus antiqui): sed in litteris certe elaboravi.

IX. Ne nunc quidem vires desidero adolescentis, (is enim erat locus alter de vitiis senectutis) non plus, quam adolescens tauri, aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti; et quidquid agas, agere pro viribus. Quae enim vox potest esse contemptior, quam Milonis Crotoniatae? qui, cum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse: At hi quidem jam mortui sunt. Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator: neque enim ex te umquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. Nihil Sext. Aelius tale, nihil multis annis ante Ti. Coruncanius, nihil modo P. Crassus: a quibus jura civibus praescribebantur; quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia. Orator, metuo, ne languescat senectute: est enim munus ejus non ingenii solum, sed laterum etiam, et virium. Omnino canorum illud in voce splendet etiam, nescio quo pacto, in senectute; quod equidem adhuc non amisi. Et videtis annos; sed tamen est decorus sermo senis, quietus et remissus: facitque persaepe ipsa sibi audientiam diserti senis comta et mitis oratio; quod si ipse exsequi nequeas, possis tamen Scipioni praecipere, et Laelio. Quid enim est jucundius senectute, stipata studiis juventutis? ane eas quidem vires senectuti relinquemus, ut adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse praeclarius? Mihi vero Cn. et P. Scipiones, et avi tui duo, L. Aemilius, et P. Africanus, comitatu nobilium